Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

86

per illum utrique populus ad deum habere accessum. Iste angularis lapis non credentibus lapis offensionis est et petra scandali. super quam qui ceciderit quassabitur. super quem vero ipsa corruerit comminuet eum. INCIPIT PREFACIO BEATI HIERONIMI AD EPHESIOS

SECUNDUM orationibus vestris o Paula et Eustochium ad ephesios adgrediar librum nova quoque rome munuscula transmissurus. si quo hec digne fuerit legere doctorum senatus et bibliothecis veterum adscribere. sed quo sancta marcella id ipsum fieri per epistolas flagitet. Cuius ego quotienscumque studiorum ingenii laboris recordor: totiens me damno in ecclesie quam in monasterii solitudine constitutus. et illud persepe contra videns in quo vagientem parvulum festini adoravere pastores. id facere non possum. quod mulier nobilis inter strepentem familiam et procuratione domus explet operis. ——— Qua propter et illam et vos et si qui forte lecturi sunt in commune precor ut sciatis me non cogitatum diu limatumque proferre sermonem. sed ad revelanda mysteria scripturarum uti verbis pene de trivio et interdum per singulos dies usque ad numerum mille versuum pervenire. ut cepta in apostolum explanatio ipsius pauli cuius epistolas conamur exponere orationibus compleatur. INCIPIT EXPOSICIO AD EPHESIOS LIBER SECUNDUS.

HUIUS REI GRATIA. 55

Ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis gentibus. si tamen audistis dispensationem gratie dei que data est mihi in vobis. quoniam secundum revelationem cognitum factum est mihi mysterium. sicut prescripsi in modico prout potestis legentes intellegere sensum meum in mysterio christi. Quantum ad consequentiam sermonis textumque eloquii pertinet. ad id quod premisit. huius rei gratia ego paulus vinctus iesu christi pro vobis gentibus. diligentissime perquirentes. nichil quod ei adiuderet potuimus invenire. Neque enim dixit. huius rei gratia ego paulus hoc vel hoc feci vel illud et illud docui. sed suspensa manente sententia transgressus ad alia est. nisi forte ignoscentes ei quod et ipse confessus est dicens. et si imperitus sermone non tamen scientia sensuum magis in eo querimus ordinem quam verborum quem sic reddi potest. Huius rei gratia ego paulus vinctus christi iesu.